

pantur. Hoc modō intellectum duplēm constituunt, unum patien-  
tem, alterum agentem. Patiens excipit species ex corpore exspa-  
tiantes; Agens eas solis instar illustrat, atque spiritales efficit. Hæc  
est quorundam sententia de lumine rationis sive intellectus. Nil di-  
cam de inutili distinctione intellectus in agentem & patientem; a-  
gens enim si cognitionis est capax, omnino confunditur cum patien-  
te; adeò ut entia præter necessitatem multiplicentur. Nil dicam de  
speciebus è corporibus progradientibus, an sint corpora, (licet spiritus  
esse planè repugnet) & an corpus ab aliò corpore possit separari abs-  
que diminutione. Nil dicam denique de corporum penetrabilitate,  
quæ ex hōc placito necessariò profluit. Sed dicant mihi saltem hu-  
jus sententiæ propugnatores, quomodo hæc corpuscula per tubum  
opticum visa aliquot centies augeantur, & crescant, ut tanta oculis  
nostris appareant? Dicant cur ista corpuscula è longinquò parva, &  
è propinquò magna sint? Dicant denique, cur aër gravissimum cor-  
pus non etiam talismodi species impressas emittat?

#### §. XIV.

Has difficultates alii videntes hoc lumen rationis aliò modō  
explicare voluerunt, dicentes: Deum omnes ideas in animâ concre-  
asse eō tempore, quō ipsam animam creavit. Sed considerans, me  
in infinitam multitudinem idearum unius figuræ e. g. trianguli mente  
intueri posse, quarum nulla alteri sit æqualis; video, quod conclu-  
dendum sit, Deum infinitum idearum numerum cum animâ meâ  
creasse, quod credere non possum; cum certus sim, Deum semper fa-  
cillimâ viâ procedere, quæ verò hæc sit, infra patebit. Concesso,  
Deum menti has ideas concreasse, alia oritur difficultas, quomodo  
mens ideis à sensibus repræsentatis ex tantô idearum numerò similes  
eligere possit; cum ideæ imaginationis ab ideis puri intellectus  
quam plurimum sint diversæ. Consideremus tantum, quanta sit dif-  
ferentia inter characteres, quos jam scribo, & inter cogitationes, quæ  
istis excitantur.

#### §. XV.

His animo revolutis, penè dixerim, animam ipsam à Deo po-  
tentiam accepisse, hasce ideas fabricandi, quandocunque velit; credo  
etiam, Deum, si voluisset, animæ nostræ hanc potentiam donare po-  
tuisse, est enim omnipotens. Perpendamus autem spiritu humili-  
tatis,

*Deo men  
concreta*

*incere  
effici*